



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

CXCVII. Papst Nicolaus V. trägt den Aebten zu Lehnin und Berlin auf,
gegen die Anhänger des Pseudopapstes gerichtlich einzuschreiten, am 6.
September 1447.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

penfum. Datum Magdeburg, anno domini millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, die omnium sanctorum.

Nach dem Lehn. Copialbuche des Geh. Min.-Archives.

CXCVII. Papp Nicolaus V. trägt den Aebten zu Lehnin und Berlin auf, gegen die Anhänger des Pseudopapstes gerichtlich einzuschreiten, am 6. September 1447.

Nicolaus V. Dilectis filiis Abbati Monasterii in Lennyn et in Berlin ac in Vecellariensi, Treverensi et Brandenburgensi diocesi ecclesiarum prepositis salutem etc. Exposcit debitum pastoralis officii, ut Romanus Pontifex nepharios malignantium excessus illorum presertim, qui tranquillum ecclesie Statum in varias periculosasque nisi obvietur procellas et turbationes impellere satagunt et Petri navicula fluctibus aperire moliantur, oportunis remediis reprimi ac, ne infra maliciam gloriantes alius occasionem malignandi prebeant, pro excessibus per eos commissis debite ultionis penam infligi faciat, nam ut canonice continent sanctiones in culpis, que in multorum trahunt iacturam, culpa est relaxari vindicta. Sane postquam nos nuper ex conquisitione dilecti filii nobilissimi viri Frederici Marchionis Brandenburgensis ac Sacri Imperii Electoris percepimus, nonnullos Archiepiscopos, Episcopos, Abbatem, Abbatissas, Prepositos, Decanos, Scolasticos, Cantores, Custodes, Thesaurarios et Canonicos tam Metropolitanium, Cathedralium quam Collegiarum, nec non Parrochialium ecclesiarum Rectores, Capellanos et Beneficiarios in suo temporali dominio et partibus illi vicinis constitutos, nostre seque voluntati et intencioni sue de obediendo nobis et Sancte Romane ecclesie conformare nolle immo eosdem post ipsius Marchionis declarationem pro se. re. Eugenio papa IV. predecessore nostro et deinde pro nobis et dicta ecclesia Romana factam, dampnatis viris Basilee sub pretexto generalis Concilii constitutis ac perdicionis alumno Amedeo olim Duci Sabaudie antipape notorie adherere, adhesisse, favisse et auxilium prestasse ac non vereri hodie eidem favere et auxilium prestare eorumque dampnata litteras et mandata recipere, illisque obedire in aminarum suorum periculum et Sedis Apostolice contemptum non modicum ac Scandalum plurimorum; Nos dicti Marchionis supplicationibus inclinati, et in premissis quantocius prout tenemur providere volentes, vobis, et cuilibet vestrum per se vel alium seu alios quocumque opus fuerit contra predictos omnes et singulos tamquam notorios hereticos et scismaticos nobis et dicte Sedi rebelles summarie, simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii sola facti veritate inspecta procedendi nec non eos et quemlibet eorum propterea tamquam excommunicatos, anathematizatos, Scismaticos et hereticos in ecclesiis sive locis sub quibus degunt publice denunciandi, nec non eorum personas, res et bona nobis ac Camere Apostolice confiscandi et si ad nos redire noluerint suosque excessus et errores relinquere, et ab illis in brevi termino per vos illis prefigendo resistere recuserint, personas eorum diris carceribus mancipandi et in pane et aqua doloris detinendi illosque et quemlibet eorum suis ecclesiis, dignitatibus, Monasteriis, Abbatissatibus, personatibus, officiis et beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura privandi nec non eadem aliis personis idoneis auctoritate nostra conferendi et de illis providendi ac etiam dictis ecclesiis Metropolitanis, seu Cathedralibus de personis dicto Marchioni gratis et acceptis providendi illasque eis in Episcopos et Pastores proficiendi nec non curam, regimen et administra-

tionem earundem ipsi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendi munusque consecrationis ad hoc aliis Catholicis antistitibus impendendi iuramentaque de obediendo nobis et Romane ecclesie et successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus prestari solita ab eis recipiendi aliaque in premissis et circa ea quomodolibet necessaria et oportuna faciendi et exequendi, Contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia appellatione postposita compescendi nec non processus desuper necessarios aggravandi et reaggravandi, nec non auxilium brachii secularis in premissis si opus fuerit invocandi, devotioni vestre testore presentium plenam et liberam auctoritate apostolica concedimus facultatem. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non prefatarum ecclesiarum statutis et consuetudinibus, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis contrariis quibuscumque, aut si Archiepiscopis, Episcopis et aliis personis prefatis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod earum persone ad iudicium trahi aut quod interdici, suspendi vel excommunicari, seu ecclesiis, dignitatibus, Monasteriis, personibus, officiis et beneficiis suis privari et ab aliis amoveri non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et quibuslibet aliis generalibus privilegiis, exemptionibus, indulgentiis et litteris Apostolicis specialibus et generalibus, quorumcumque tenoris existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta vestre facultatis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, que quoad hoc ipsis volumus aliquatenus suffragari. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno etc. millesimo quadringentesimo quadragésimo septimo, octavo Idus Septembris pontificatus nostri anno Primo.

Nach einer Abschrift aus dem Vaticanischen Gesch. Archive Reg. Nicolai V. Anno I, Tom. IV, pag. 167.

CXCVIII. Papat Nicolaus beauftragt den Abt zu Lennin und den Dechanten zu Magdeburg, dem Kloster Zinna gegen Verletzungen seines Eigenthums Schutz zu leisten, am 9. September 1447.

Nicolaus Episcopus, servus servorum Dei Dilectis filiis Abbati Monasterii in Lennyn, Brandenburg. diocesis et Decano ecclesie Magdeburgensis salutem et apostolicam benedictionem. Significarunt nobis dilecti filii Abbas et conventus monasterii in Cenna Cisterciensis ordinis Brandenburg. diocesis, quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorant, decimas, census, fructus, redditus, proventus, possessiones, domos, terras, vineas, casalia, molendina, ortos, campos, prata, pascua, nemora, vini, bladi, frumenti, auri, argenti, monetati et non monetati, linorum, lanarum quantitates, litteras authenticas, instrumenta publica, registra, protocolla, quitantias, recognitiones, cedulas, notas, cartas, scripturas, libros, ornamenta ecclesiastica, calices, monilia, ciphos, tasseas, anulos, pannos lineos et laneos, cochlearia, zonas, textos, burfas, vasa, aurea, argentea, cuprea, ferrea, stannea, lignea, lectos, calcitras, linteamina, domorum utensilia, equos, oves, boues, porcos, vaccas, armaturas, mantellos, vestes, foderaturas, debita legata pecuniarum, firmas, jura, jurisdictiones et nonnulla alia mobilia et immobilia bona ad prefatum monasterium legitime spectantia temere et malitiose occultare et occulte detinere presumunt, non curantes ea prefatis Abbati et conventui exhibere in animarum suarum periculum et ipsorum Abbatis et conventus ac monasterii non modicum detrimen-